

1606 quæ præmia reportaverint : pro Alexandro tertio , summo Pontifice , ea gesta , quæ nunquam temporis diuturnitas vel clarissimæ luci ab invidis hominibus offusæ tenebræ obfuscare aut delere poterunt . Quoties ( inquit ) immanissimi Turcæ de profanando Christi Servatoris humani generis augustinissimo sepulcro , deque Franciscani sodalitii viris expellendis cogitarunt ? Effecissent id profecto , furiis in christianos agitati , nisi Senatus auctoritas nefariis conatibus obstitisset . At , vel surgente vel summis incrementis aucto Ottomanorum imperio , quot bella pro religione , pro christiana republica Veneti gessere ? Quid Bajazetis , quid Suleimani , quid Selimi impetus commemorem ? Quam fortiter excepti ? quot emissæ classes ? quot effusi thesauri ? quanto civium sanguine resperfa maria , ut , alternante fortuna , modo illatis , modo acceptis cladibus , certatum , donec victoria illa insigni ad Echinadas maritimum turcicæ gentis robur depresso est ? Opes certe publicæ non ad civium luxum , libidinem , avaritiam ; ad libertatem , ad christianam religionem , ad Italiam , atque adeo ad ipsos Pontifices tuendos congeruntur . Quæ si quis non turbido animo intelligat , ingenti laudum præconio Senatum cumulet . Nam , ut reliqua omittantur , terra mari que Italia imperio Veneto adeo tecta est , ut labefactari illud nequeat , quin eodem concussa motu , hæc provincia in summum discrimen adducatur . Creta veluti firmum propugnaculum Turcis objicitur ; Corcyra , Epiro proxima , Italicae promunimento est ; e cuius regione Dalmatia sita , oppositam bujus provinciæ oram in alta securitate atque otio retinet . Quis porro Venetorum magnanimos ausus non admiretur , qui , ut amplissimum exteris nationibus aditum intercluderent , irrupturosque aliquando in Italicae penetralia barbaros , quod superioribus sæculis sepe contigit , averterent , ingentem Pahne novæ urbis molem excitandam decreverint ? Eo Senatus cogitata , consilia spectant , ut nihil non præclarum ad Reipublicæ libertatem , ac christianæ fidei decus , Italique tranquillitatem meditetur . Quid porro optatius hisce dissidiis barbaræ gentes , communes hostes , in perniciem nostram summis votis expetere ac moliri potuissent ? Hostes Italicae foribus imminent , nostrum interitum atque exitium sitiunt . Italia , religio-